

spiritualibus affluere. Induimur, si non purpura et bysso, certe mollioribus et calidioribus quam sint purpura et byssus; et epulamur quotidie splendide: et nihilominus distenti et ructantes crapulam, dormiemus cum Lazaro quondam paupere in sinu Abrahamæ, vel potius in sinu Christi cum Joanne? Plane si ita est, melius nobiscum actum est, quam cum illis, qui tantis emere laboribus quod nos delicati gratuito possidemus. Plane si ita est, ridenda est magis quam prædicanda vita Joannis: et omnem nationem filiorum Dei, qui dura et arcta via secuti sunt Unicum Patris, reprobare magis expedit, quam imitari.

4. Verisimilius autem videtur quod non ita est; sed magis sicut Veritas dicit, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (Act. xiv. 21): et sicut discipulus Veritatis perhibet, quia vidua in deliciis vivens mortua est (1 Tim. v. 5, 6). Ideo Dominus cum de asperitate vestis laudasset amicum in omni domo sua fidelissimum, Ecce, inquit, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt (Matth. xi, 8): volens nimirum intelligi, quia qui sectantur delicias carnis, regno hujus sæculi militant, non regno Dei. Heu! quam terribilem sententiam cœlitus audi vi contra molliem illius magnæ et purpuratæ meretricis! Quantum, inquit, glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum (Apoc. xviii, 7), Utinam tamen his deliciis, tantum molitæ vestium, et suavitate epularum contenta esset teneritudo delicatiorum. nec alias spinas vitiorum germinaret in eis rhamnus voluptatum, ut hoc esset omne peccatum eorum deliciarum, non luxuriarum! Ipsi viderint, si ita extinctus est in eis ingenuus ille pestifer ignis, ut tot fomentis circumpositis nequeat reaccendi; præsertim ventis ex adverso flantibus, id est, verbis et risibus lascivis tentantibus. Soleo tamen audire quia sæpe vivit etiam in moriente, viget in sene: suscitatur et exurgit etiam sine fomite, furit nullo irritante. Ipsi ergo viderint sibi. Nihil enim mihi de aliorum conscientis iudicare, cum sciam multos in omni copia et gloria mundi temperanter et pudice vixisse: et e diverso nonnullos in habitu asperiore et victu parcioris nequiter egisse. Sed et scio regem Israel sub purpura sua cilicio ad carnem fuisse indutum (IV Reg. vi, 30); et panem solum nonnunquam regibus appositum; cum hodie delicatissima quæque ac mollia tegat pulla vestis pœnitentium, vel magis pœnitentiam profitentium; **1021** et fastidiis eorum non satis sint opes mundi, non satisfaciunt artes et tormenta coquorum. Verum quia in hujusmodi causis facile quisque sibi invenit patrocinium; alius, infirmitatis, alius, societatis cui morem gerit; alius, honoris quem ge-

rit: esto, vivat ut volunt, comedat ut volunt; tantum ne excedat ulterius hoc malum, ad id scilicet, quod qui perpetrare volunt, confiteri nolunt, quia tueri non possunt; et incipiant notari proverbio mulieris nequam, quæ comedit, et tergens os suum dicit: Non sum operata malum (Prov. xxx, 20). Nam et magna illa Babylone, de cujus medio delicati pœnitentes isti videbantur exisse, audeam dicere: Quantum vult purpurata sit, quantum vult delicata sit; tantum meretrix non sit, nec divaricet pedes suos omni transeunti.

5. Tu ergo si non potes imitari Joannem in asperitate vestitus, vel parcimonia victus: vel in hoc imitari contende, ut non sis arundo vento agitata; et, ut Sapiens ait, Non te ventiles in omnem ventum, et non eas in omnem viam. Sic enim peccator probatur in duplici lingua. Sed esto firmus, inquit, in via Domini (Eccli. v, 11, 12), ne te projiciat ventus a facie terræ seu loci, cui professus es; seu regni, cui præparandas es. Solet repente ventus vehemens irruere a regione deserti, et concutere quatuor angulos domus filiorum Job (Job i, 19), et fit ruina ejus magna, si tamen super arenam fundata sit, non supra petram; si arundinea sit, non lapidea: imo si is qui ædificat eam, et inhabitat, arundo sit; foris per hypocrisis nitidus, jactantia vel promissione cassa sonorus; intus veritate vacuus. In secreto hujus arundinis Behemoth dormire amat, quæ et in locis humentibus (Job xl, 10, 16), ubi nulla fluxarum rerum penuria, sed ad luxum superfluant omnia, sæpius et uberius crescit atque luxuriat (Isai. xxxvi, 7), Huic arundini si quis innitatur, manum ejus perforabit: quia si quis in adiutorium operis eum asciverit, vel alicujus ei muneris functionem imposuerit, sperantem in se gravi scandalo vulnerabit. Patientia tamen Domini hujusmodi arundinem etiam quassatam non conterit, sed sustinet, ut in melius convertatur (Isa. xxiv, 20). Nonnunquam etiam inrepat feras arundinis (Psal. lxxvii, 31), quæ cum principe suo in secreto ejus dormiunt: nonnunquam justi tanquam scintillæ æris candentis in arundineto discurrunt (Sap. iii, 7), qui tanquam carbonem desolatorii, quidquid in eo sterilitate silvescit incendunt, novisque fructibus purum præparant locum. Hoc agebat Joannes, vox clamantis in deserto, non arundo, sed scintilla in arundineto: cujus sermo, ut scriptum est, sermo scintillæ ad commovendum cor (Sap. ii, 2) pigrum et stolidum, ut pararet viam Domino. Hoc etiam nunc in nobis agat eadem vox, cooperante Verbo ipso, cujus erat vox, Jesu Christo Domino nostro, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN NATALI APOSTOLORUM PETRI ET PAULI

SERMO I.

De duabus olivis ad dexteram candelabri.

1. Et respondi, inquit Zacharias, et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri et ad sinistram ejus? Isti sunt, inquit, duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universæ terræ (Zach. iv, 4, 11, 14). De candelabro quod viderat totum aureum, et septem lucernas ejus super illud intellexerat Propheta. sed nec nobis dubitare jam licet, cum in lumine ejus videamus lumen. Hoc lumen cum alia demonstrat, seipsum ignorari non patitur, sed testimonium perhibens de seipso loquitur: Ego sum lux mundi (Joan. viii, 12). Lux ex divinitate, candelabrum ex humanitate. Et ipsum totum aureum, non auratum; quia sive divinitas, sive sapientia, sive charitas auro significetur, hæc omnia Christus non per participationem, sed per substantiam. Nos cum simus natura plumbei, vel magis lutei, gratia et participatione ipsius, non aurum vel aurei, sed ut multum aurati. Septem lucernæ super ipsum, septem spiritus terram. De his ergo Propheta certus, de duabus olivis quidam sint percunctatur, auditque ab angelo qui in eo loquebatur: **1022** Isti sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universæ terræ (Zach. iv, 14). Interpretentur alii ut volunt aut possunt unusquisque pro sensu suo: sive Enoch et Eliam, qui apud Deum in secreto vivunt; sive Moysen et Eliam, qui cum eo in monte visi sunt; sive duos ordines prædicatorum, veteris scilicet ac novi Testamenti: ut qui Veteris, ad sinistram sint propter promissa temporalia; qui Novi, ad dexteram, propter æterna: ego quidquid a regula fidei non discrepat, aut a contextu lectionis non nimie dissonat, suscipio, veneror, amplector.

2. Puto tamen, sine præjudicio melioris intellectus, Petrum et Paulum non absurde posse intelligi: imo absurdum videri, qui hodie aliud interpretari velit, cum hodie nihil aliud cantet aut tractet Ecclesia ubique terrarum, quam præconia Patrum doctorumque suorum. Nam etsi aliis possit aptari, puto quia istis specialius congruit, seu illud quod tanquam duæ olivæ circa candelabrum a Propheta videntur, seu quod duo filii esse olei splendoris ab angelo memorantur. Et alterum quidem altero exponitur, visio scilicet prophetica interpretatione angelica: ut inde intelligatur olivæ, quia filii olei splendoris; inde circa candelabrum, quia Domino assistunt. Quia enim ex oleo Spiritus sancti sunt regenerati, hodieque florent et fructificant sicut oliva fructifera in domo Domini, etiam oleastro gentili, qui in ipsos insertus est, impertientes pin-

guædinis suæ succum ac dulcedinis, gratias illis agat sterilis dudum et amara gentilitas; et si non ab ipsis, tamen per ipsos est, quod nunc tam copioso, tam pretioso fructu per orbem abundat.

3. Vobis tamen, fratres, quibus sicut substantia et domus una, ita cor unum et anima una: vobis, inquam, specialius in ipsis censeo gloriandum, qui sicut novella olivarum de eorum radice traduxistis non solum fidei succum, sed et formam vitæ atque ordinis exemplum. Quod si novella olivarum vos, utique et filii olei vos, filii uncti, qui est Christus Dei; diciturque et de vobis, cum hodie ad altare accedatis: Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ (Psal. cxxxvii, 3). O novella olivarum nobilium! o generosum germen tam pinguium, tamque feracium arborum! semper, obsecro, recordare de qua pullulaveris stirpe, de qua succreveris radice, ne unquam sterilitas operum, aut amaritudo morum te degenerem arguat, aut, quod absit, inutilem ignibus addicat. Cave, quaeso, notam infelicium temporum, de quibus memiaisti prophetatum: Mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum (Habac. iii, 17). Duo tamen præcipue tibi existimo cavenda: ne aut per teporem fias sicut oliva projiciens florem suum, sicut legis in Propheta, ut videlicet fructum quem in initiis novitii fervoris promittebas non facias; aut cum feceris, ne per superbiam perdas, et dicat tibi Jeremias: Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum: sed heu! ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt omnia fruteta ejus (Jerem. xi, 16). Confidimus autem de vobis meliora, dilectissimi, tametsi ita loquamur. Confidimus quia oleum splendoris, vel magis olei splendor, ejus estis filii, sicut et patres nostri Apostoli, unctione sua docebit vos de omnibus: nec solum deterget torporem, quia oleum est; sed et discutiet errorem, quia splendor est.

4. Scio posse intelligi olei splendoris, id est, quod de splendore Filio procedit, vel quod splendorem illuminationis diffundit: sed puto quia non inconvenienter etiam per intransitionem accipi potest oleum, quod splendor est. Utrumque siquidem Spiritus est in natura sui, et unctio scilicet spiritualis, et splendor invisibilis: utrumque in nobis operatur munere sui. Ungit affectus ex eo quod oleum est: illuminat intellectus ex eo quod splendor est. Qui tamen non ex alio atque alio, sed ex uno ipso et oleum, et splendor est; quia non nisi unum ipsum est. Ungit affectus, quia charitas est: illuminat intellectus, quia veritas est. Ungit affectus, cum devotionem donat: illuminat intellectus, cum mysteria revelat. Cum bonitatem docet, ut simus simplices sicut columbæ, ungit affectus: cum scientiam

docet, ut simus prudentes sicut serpentes, illuminat intellectus. Illuminat, ut habeamus **1023** in nobis salem: ungit, ut habeamus inter nos pacem. In hoc igitur te nobis probabis filium olei splendoris, si suavem et unctum per benevolentiam, discretum et maturum per sapientiam te nobis exhibueris; ut suavitas veritate sit condita, et æquitate charitas ordinata. Puto autem quod hanc germinam virtutem sui, vel affectum muneris sui, propter quam splendor voluit dici, etiam in illo igne Spiritus sanctus significaverit, in quo ipse invisibiliter invisibiliter Apostolis apparuit. Qui enim splendor fuit in aspectu oculorum, oleum, nisi fallor, fuit in sensu corporum: ut veluti in quodam lavaero olei viderentur sibi baptizati, cum super eos effunderetur ignis iste coelestis. Verumtamen qualiscunque fuerit in eis corporaliter sensus illius ignis (parum enim interest qualis sentiat, sed qualiter operetur), illud, ut opinor, et probabilis dicitur, et religiosius creditur, quod idem ignis qui inflammavit et illuminavit corda refrigeravit corpora: ut per charitatem mentes arderent, et per castitatem membra frigerent, et utrumque congrueret singulis, sive illud Jeremiæ, *De excelso misit ignem in ossibus meis* (Thren. 1, 13); sive illud Psalmistæ, *Caro mea immutata est propter oleum* (Psal. cviii, 24). Nisi forte aliquid de lege membrorum contra legem mentis relinquere voluit Spiritus, ut virtus in infirmitate perficeretur.

5. Sed prosequamur quod proposuimus. *Isti sunt*, inquit, *duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universæ terræ* (Zach. iv, 14). Ecce habes bonitatem in oleo, scientiam in splendore: accipe disciplinam in eo quod ait, *qui assistunt Dominatori universæ terræ*; ut agnoscas eos vere discipulos illius fuisse cui cantamus, *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (Psal. cxviii, 66). Hæc est namque perfectio disciplinæ, tam in mente, quam in corpore; ut proponentes Dominum in conspectu nostro semper, semper et ubique majestati æternæ, quæ nos inspicit et judicat sine intermissione, cum metu et reverentia assistamus, pervigili fide ac jugi devotione. *Sicut oculi*, inquit, *servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum* (Psal. cxxii, 2), intentissime et inclinabiliter observantes nutus ejus, quid velit, quid jubeat, ut quam celerrime devotio nostra obediatur. Sic Moyses invisibilem tanquam videns sustinebat, nec unquam imminentiæ metum judicis dissimulare poterat. Sic Elias et alii Prophetæ qui dicebant: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (IV Reg. v, 16). Inde nimirum et gratiam, et nomen assecuti sunt Videntium; quoniam quæ semper intuebantur per fidem non fictam, merebantur sæpius intueri per speciem, licet factam. Hæc fides vigil, non ficta, non dissimulatrix, ipsa est, ut arbitror, quæ sola vel maxime facili compendio ad perfectionem perducit: quæ gravitatem disciplinæ, sobrietatemque modestiæ, tam interiori quam exteriori

nostro tribuit, et velut in disciplina famulantium Domino semper assistere facit. Hac virtute meruerunt Apostoli dici filii olei splendoris: ut sicut Domino astiterunt in terris contemplando per fidem, ita nunc ei assistant in cælis contemplando per speciem; Regemque in decore suo videant oculi eorum, cujus timorem hic meditabatur cor eorum. Hac via, fratres, sequimini Patres fidei vestræ, et auctores Ordinis, quatenus eorum provocati exemplis et adjuti suffragiis, quo ipsi hodie præcesserunt, pervenire valeatis, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

Quomodo fidelium animos alant apostoli.

1. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (Cant. iv, 5, 6). Videte, fratres, ne degeneretis. Ut taceam de nobilitate patris vestri, nobilis est mater quæ vos genuit, generosa sunt ubera quibus lactati estis. Mater vestra est sponsa cui hæc dicuntur, cujus ubera voce sponsi laudantur. Quæ nimirum duo ubera Ecclesiæ Petrum et Paulum esse, non solum interpretatur nobis dies **1021** ista, in qua potamur ab uberibus consolationis eorum satis jucunde et abunde; sed etiam evidentia operis ipsorum approbant argumenta ac monumenta doctrinæ. Quibus enim aliis uberibus nutriti sunt filii Ecclesiæ, sive ex præputio, sive ex circumcisione? Istos utique ego reor esse, de quibus olim parvulæ et pauperulæ consolatio divina promittebat Ecclesiæ: *Reges nutriti tui erunt* (Isai. xlix, 23), et *mammilla regum lactaberis* (Isa. lx, 16). Nisi enim tam generoso lacte nutrita esset, nunquam ad hoc virtutis ac gloriæ culmen excrevisset. Ad ubera parvulos Petrus invitabat, quibus dicebat: *Sicut modo geniti infantes, lac concupiscite* (I Petr. ii, 2). Ubra Paulus præbuerat quibus dicebat: *Lac vobis potum dedi* (I Cor. iii, 2); et illud; *Factus sum in medio vestri sicut nutritrix sedens et nutriens filios suos* (I Thess. ii, 7). Quam plenus autem lacte redundaverit spirituali, pulchre significatum est unde illius lactis visibilis, quod de corpore ipsius fertur exisse loco sanguinis, cum decollatus hodierna die pro illis, quibus dabat mammillam, dedit et animam. Plane nihil in eo sanguineum, sed totum lacteum; qui nihil carnale, nihil suum cogitabat, sed tantum quod aliis utile erat. Nec tam habebat ubera, quam ipse totus uber erat; qui ita misericordia uberi affluebat, ut non modo spiritum suum desideraret totum filiis immulgere, sed et corpus impendere.

2. Antequam hæc duo ubera, Petrum et Paulum, accepisset primitiva Ecclesia sanctorum in terris, conquerebatur et dicebat Ecclesia beatorum spirituum in cælis: *Soror nostra parva est, et ubera non habet* (Cantic. viii, 8). Cum enim Christus rediens in cælum reliquisset pusillum gregem discipulorum, ac nondum misisset Spiritum suum, quo erant fectanda viscera, et implenda ubera sanctorum: erat,

ut opinor, illa Ecclesia in cælis sollicita pro filiis sponsi, sive jam natis, sive nascituris, cui videlicet committerentur alendi; eo quod Ecclesiam istam viderent parvam numero, virtute et auctoritate, et sine uberibus doctrinæ. Nam et ipse Sponsus in diebus carnis suæ genuerat aliquos verbo veritatis, et quandiu fuerat cum eis, lactaverat eos uberibus ædificationis et consolationis. Et ipse siquidem Sponsus habet ubera meliora vino (Cant. i, 1), id est, doctrina legali, vel gaudio sæculari. Habet, inquam, Sponsus ubera, ne ullum de omnibus officiis et nominibus pietatis eum prætereat: ut qui pater est creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, seu etiam auctoritate disciplinæ, sit etiam mater affectu clementiæ, sit et nutrix sedulitate officii curæ. Erant igitur parvuli, quos alebat initium aliquod creaturæ ejus, sed non nisi initium: multumque supererat curæ et laboris, donec adducerentur ad perfectum, et formaretur Christus in eis. Cum autem et ipse reliquisset eos; superni spiritus, etsi læti de reditu Unigeniti, de nova tamen adoptionis progenie solliciti, quodammodo affectu suo videbantur apud eum conqueri: Quis illos nutriet? Lactasti eos, sed ante tempus ablactasti. Non enutristi juvenes, nec ad incrementum perduxisti virgines: quis illos nutriet? *Soror nostra parva est, et ubera non habet*. Dixisti Petro: *Pasce agnos meos* (Joan. xxi, 15, 16): sed nec ipse adhuc sufficientiam lactis in uberibus habet. Cito pietas ejus aresceret, qui plus adhuc cuti suæ quam animabus parvulorum timet. Facile relinqueret agnos in tentatione, qui Pastorem tam suum quam illorum negavit in interrogatione. Ecce autem repente Spiritu misso de cælo, tanquam lacte de propriis Christi uberibus effuso, Petrus impletus est lacte plurimo: nec multo post de Saulo fit Paulus, prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice; ut plane intelligeres totum ejus sanguinem mutatum in lactis dulcedinem, sævitiam in pietatem.

3. His igitur uberibus geminis pectori suo affixis gloriatur Ecclesia, non modo matrem se esse fecundam, sed et civitatem munitam. *Ego*, inquit, *murus, et ubera mea turris* (Cantic. viii, 10). Mille clypei pendent jam de turribus istis, omnis armatura fortium. Ipse quoque sponsus de eisdem uberibus in laudem sponsæ in carmine amoris, mystico sermone sic ait: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capræ gemelli* (Cant. iv, 5). Capream hoc loco accipimus Ecclesiam; acutam visu ad penetranda mysteria Christi, agilem saltu ad transilienda spinosa hujus sæculi, potentem ad exsuperanda venena serpentis antiqui. Cujus duo gemelli non inconvenienter, **1025** ut arbitror, intelliguntur hi duo Apostoli; germani fide, consimiles devotione, pares merito et virtute, unanimis charitate, conjuncti in ipsa etiam passione et morte. Quomodo enim in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati. Quia vero desideria summorum pascuntur in profectibus minorum, donec scilicet aspirante gratia tollant se ad contem-

plandum sublimia, bene de his hinnulis subditur: *Qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (Cant. ii, 16, 17). Animalia cum declinant æstum diei, captant umbrosa pascua convallium, ubi et liliorum solet esse proventus uberius, donec spirante tepescentis aura vesperi, egrediantur ad aperta camporum, vel ardua montium. Sic et hinnuli nostri quandiu non aspirat eis ad contemplandum clementior aura diei æterni, pascuntur in liliis convallium; id est, delectantur in virtutibus humilium, aut etiam occupantur in actionibus eorum. Cum autem aspirat dies ille mentibus eorum, egrediuntur et salient ad uberiora et feliciora pascua montium æternorum. *Per me*, inquit Pastor et ostium, *si quis introierit salvabitur, et ingredietur Ecclesiam et egredietur sæpius contemplando, semel migrando ad coelestem patriam; et pascua inveniet*, et hic, et ibi. Hic inter lilia agri; ibi, inter ligna paradisi: hic, in floribus; ibi, in fructibus: hic, in virtutibus sanctorum; ibi, in gaudiis Angelorum.

4. Prorsus in loco pascuæ ibi me Dominus collocavit, cum ecclesiæ sanctorum associavit, cujus *venter sicut acervus tritici vallatus liliis* (Cant. vii, 2), ut pascat simul et tritici gustu, et liliorum aspectu. Quid enim acervus tritici, nisi copia divini sermonis in tot libris undique congestis? Quid lilia nisi justi qui germinant sicut lilium, et florent immarcessibiliter ante Dominum; quorum tantus candor in sanctimonia corporis et cordis puritate, tanta fragrantia in opinione, tanta medicinalis virtus in opere et sermone? Non mediocre pabulum istud fideli animæ, videre circa se tot lilia tanta venustate et gratia florentia, ubi omnium virtutum ex eis, licet diversarum ex diversis, capere possit exempla. Iste fundatior humilitate, ille amplior charitate. Alius robustior ad patientiam, alius velocior ad obedientiam, Iste frugalitate parcior, ille labore utilior: iste devotior in oratione ille in lectione studiosior: iste in administratione prudentior, illi in quiete sanctorum. Sed licet aliquam insignius florentem in unoquoque gratiam mireris, non una tamen, sed multæ virtutes in singulis, sicut flores in liliis. Quot enim justi, tot lilia: quot virtutes eorum, tot flores liliorum. Qui igitur hæc videns gaudet in illis, aut etiam proficit ex illis, quid, nisi pascitur in liliis?

5. Pascebat Paulus: sed nihilominus in illis quos pascebat. Pascebat eos sermonibus, pascebatur eorum operibus. Ventrem quidem suum, imo et alienum pascebat, manibus propriis (Act. xx, 34; I Cor. iv, 12; I Thess. ii, 9, et II Thess. iii, 8): mentem vero non tam suis pascebat bonis quam alienis, qui non quærebat quod sibi utile, sed quod aliis. *Nunc vivimus*, inquit, *si vos statis in Domino* (I Thess. iii, 8). *Quæ enim gloria mea, aut gaudium, aut corona? Nonne vos ante Deum?* (I Thess. ii, 19; Philipp. vi, 1.) Ideo sæpius ei spirabat dies æterni luminis, atque afflabat eum lenior aura Spiritus sancti, cujus vi rapiebatur ad interna pascua, aliquando paradisi aliquando tertii cæli, sive in corpore, sive extra corpus,

nescio, inquit, *Deus scit* (II Cor. XII, 3). Dignum quippe erat, ut qui fideliter pascerebat, fideliter pascere-tur: et qui foris gaudebat in bonis dominicæ fami-liæ, in gaudium Domini sui juberetur intrare, atque repleretur in bonis domus Dei, non solum istius vi-sibilis, pro qua sudabat, sed etiam illius invisibilis, ad quam spirabat, unde et dies ei aspirabat.

6. Nec minima de beato Petro sentienda puto, cum maxima sit gloria Pauli, illius coæquari meritis, quem judicium Veritatis potestate et primatu præ-tulit universis. Cum enim Pater qui est in cœlis ve-ritatem Unigeniti Petro revelabat (Matth. XVI, 2-6), quid aliud quam dies ei æternus aspirabat, et dies diei verbum eructabat? Cui autem magis pervium fuisse cœlum credendum est, quam ipsi Janitori, cujus lingua clavis cœli facta est? Qui potestatem habebat claudere cœlum nubibus, et aperire portas ejus, quomodo ipso non sæpius intrasse credetur? Esuriit aliquando **1026** Petrus, et cœlum ei aper-tum est, cum adhuc in terra consisteret: tantaque ei inde ciborum copia missa est, ut adhuc multa supersint, licet plurima mactaverit, et manducaverit, immunda et virulenta animalia in sancta et florulen-ta convertens lilia (Act. X, 10-16); ut videlicet de-liciose pascere in liliis, donec aspirante die, glo-riose in ipsis pascere cœlis. Sed ecce dum com-mendamus vobis duo hæc ubera sponsæ, hora jam præterit, qua de ipsis uberibus lac vobis cupieba-mus immulgere: quanquam et aliis diebus hoc ip-sum facere possimus et soleamus. De uberibus si-quidem Apostolorum lac vobis trahimus, quoties de verbis eorum ad ædificationem vestram tractamus. Nunc igitur pro tempore satis sit admonere, si tamen moneri indigetis, ut sicut ubera ista diligitis, ita lac eorum semper concupiscatis; ut in eo crescatis in salutem, donec formatum in vobis exhibeatis Salva-torem Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De eo quod scriptum est: « *Donec aspiret dies, et in-clinentur umbræ.* » (Cant. II, 17).

1. Erratis, fratres, in me; sed amore magis, ut arbitror, aut humilitate, quam temeritate. Putatis me Scripturarum scientiam habere, qui vix unquam attingi vel primum limen scientiæ. Displicet enim vobis, ut mihi videtur, quod capitulum Scripturæ, de quo heri sum locutus, non sum ad finem usque persecutus: quasi illa mihi sit facultas, ut valeam Scripturas explanare, aut etiam explanationes alio-rum digne et congrue ad memoriam revocare. Sed neque hoc mihi solet propositum esse ut Scri-pturam, unde sermonem ordior, exponam; sed ut de ipsa, et secundum ipsam sermonem de-bitum suo diei persolvam. Huc accedit quod ma-gister noster (10) ille interpres Spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spem-que nobis dedit ex eis quæ jam edidit, quia si

(10) S. Bernardum intelligit.

A pervenerit ad locum de quo quaeritis, *donec aspi-ret dies, et inclinentur umbræ*, umbras ipsas po-nat in lucem intelligentiæ: quod dictum est vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine. Vos tamen dicitis, et recte dicitis, quia vetera novis superve-nientibus projicietis; quantoque magis incondita seu rancida fuerint vetera nostra, tanto nova illius sapidiora erunt et gratiora. Nam et ipse Jesus ser-vat vivum bonum usque ad extremum, sciens utique quomodo nostro sit fastidio medendum.

2. Quia igitur cogitis me (nam impatientes dilationis vos video), nec spes incerta futuri præsen-ti satisfacere desiderio; ecce vobis morem gero, finem-que versiculi, de quo heri loquebamur, suo, prout potero, reddam principio. Illud enim quaerere vide-mini, quid sit aspirante die spirituali umbras incli-nari; cum magis consequens videretur, ut non cre-scere, sed minui tunc et deficere, dicerentur. Nam si sequamur proprietatem verbi, hoc est umbris crescere, quod inclinari: cum umbrarum ea natura sit, ut quanto inclinantur, tanto procumbant lon-giores; quantoque surgent, tanto stent minores. Unde et poeta vesperum significans ait:

Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

(Virg. Buc. eclog. 1.)

Sed sciendum, quia cum hæc proprietas umbrarum sit corporalium, longe alia est spiritualium, de qui-bus non dubitamus hic loqui Spiritum sanctum. Nam sicut corporalibus umbris inclinari est crescere, sic spiritualibus hoc est inclinari, quod deponi, minui, vel deficere. Umbræ autem spirituales sunt umbrosi spiritus et tetri, seu dæmonum, seu homi-num: umbræ sunt tenebræ errorum: umbræ sunt obscuræ significationes veterum sacramentorum. Et umbræ quidem significationum jam inclinatæ sunt ad occasum et finem: umbræ autem errorum de die in diem inclinantur ad diminutionem: umbræ vero tenebrosorum spirituum tandem inclinabuntur in infernum et mortem. Primum quidem factum est, cum dies æternus aspiravit, apparens in carne: secundum quotidie fit, cum magis ac magis aspirat illustrans veritate: tertium novissime fiet, cum aspirabit rutilans in majestate.

3. Videre autem mihi videor et alias umbras in-tra nos, **1027** quæ velut in quodam speculo de re-bus aliis nascuntur in sensu nostro, et obumbrant nobis, vel obumbrant nos. Obumbrant nos quæ re-frigidant et obscurant nos: obumbrant nobis quæ refrigerant et illuminant nos. Istæ quidem noxiæ et graves, illæ delectabiles et salubres, istæ namque de inferioribus sunt et mundanis; illæ, de superio-ribus et divinis. Anima nempe humana in quodam medio condita et posita est, ut sub ipsa esset mun-dus, supra ipsam Deus. Supra ipsam, a quo et ad quem et propter quem facta est: sub ipsa, quod pro-pter ipsam factum est. Nam sicut propter animam cor-pus, sic propter corpus domus ejus, id est, mundus. Cum igitur incurvatur ad corporalia vel mundana, ascendunt in eam umbræ de inferioribus: cum eri-

gitur ad divina, inclinantur super eam umbræ de su-perioribus. Illius enim rei quam cogitat, umbram sibi format. Quanquam de divinis satis dubia umbra est, quantumcunque cogitationis evacuatur acies: aut certe non umbra ipsius rei, sed aliud pro illa est nisi cum aspirat dies ille. Nam tunc quoque non vi-detur, ut arbitror, nisi umbra, quæ etsi luminosa, etsi gloriosa est tamen umbra est; sicut cum in facie speculi tersa et lucida, splendidissimæ rei splendens imago resultat. Cæterum videre faciem veritatis ip-sius, vel veritatem faciei ejus, sicut nunquam erit hujus corporis: ita nec modo est hujus temporis, nec aliquando erit, donec corpus dissolvat mortalitatem, aut absolvet immortalitatem, et tempus absorbebit æterni-tas, et spiritum qui nunc gravatur corpore et muta-tur tempore, sublevabit ad se, et firmabit in se im-mortalis et immutabilis divinitas.

4. Initium hujus gratiæ, et perfectionem illius glo-riæ Paulus satis proprie distinguebat, cum dicebat: *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem* (I Cor. XIII, 12). Ut autem et hoc ipsum sit, scilicet ut videamus per speculum et in ænigmate, opus est non solum ut facies speculi nostri ab omni phantasmate et umbra corporalium tersa sit: sed etiam ut ille sublimis, habitans lucem inacces-sibilem, dignetur ad nos inclinari, et vel per umbram suæ imaginis manifestari. Quantumcunque enim contendamus a visibilibus ad invisibilia, nihil nostra apprehendet humilitas, nisi condescendat illa maje-stas. Moyses ascendit in mortem, et Dominus incli-navit cœlos et descendit (Exod. XIX, 20). Et alius: *Exsurge inquit in occursum meum, et vide* (Psal. LVIII, 6). Ideo nec umbra videtur, nisi inclinetur; nec inclinari dicitur, nisi aspirante die: quia neque per speculum et in ænigmate possumus Deum videre nisi inclinante se majestate, et aspirante favore gra-tiæ. Sane hoc ipsum quod umbra vocatur compara-tione manifestæ veritatis, ineffabilis plerumque glo-riæ est et splendoris, in illis scilicet quorum est per lucidum speculum mentis. Cujus felicitis experientiæ Paulus sibi conscius, de se sibi quæ similibus loque-batur: *Nos vero omnes gloriam Domini speculantes in eadem imagine transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu* (II Cor. III, 18). Sic enim in promissione dictum est: *Implebit splen-doribus animam tuam* (Isai. LVIII, 11). Ut autem claritates istas umbras esse noveris, audi David: *Dies mei, inquit, sicut umbra declinaverunt*. Trans-ibat quidem et ipse David de claritate in claritatem, tanquam de die in diem, Sed heu! tam breves et ob-scuros dies, tam longas et laboriosas noctes habet hiems ista, ut et propheta laborans in gemitu suo lavansque per singulas noctes lectum lacrymis, me-rito plangat: *Dies mei sicut umbra declinaverunt!* (Psal. CI, 12.) Prorsus melior est dies una in atris-tis super millia (Psal. LXXXIII, 11) dierum meorum quia dies mei sicut umbra quamvis lucida: dies illa una, lux vera et mera, sicut sine umbra, sic sine vespera; cum dies mess faciat plurimos et bre-

vissimos assidua longarum noctium interpolatio. 5. Cæterum, si quaeratur cur umbræ pluraliter dictæ sint, cum res ipsa, cujus umbræ sunt, una sit: ideo nimirum, quia nunc minus, nunc amplius nobis. Altissimi virtus obumbrat; nunc obscurius, nunc manifestius veritas sese nobis innotescens adumbrat; et sicut non æqualiter semper spirat, ita nec simili-ter semper nobis imagines format. Hoc et Apostolus innuit, qui transire se confitetur a claritate in clari-tatem (II Cor. III, 18), a minore scilicet in majorem: et propheta, qui non splendore sed splendoribus im-plendam promittit fidelem animam (Isai. LVIII, 11). Sic Jacobus Deum memorat **1028** patrem lumi-num (Jacobi I, 17), cum lumen, cujus pater est, et unum sit et unicum. Quanquam sic possit intelli-gi pater luminum, quomodo pater misericordiarum.

6. Jam vero vos fratres, qui laboratis portantes pondus diei et æstus, vel secundum Isaiam, in spi-ritu vestro duro meditamini per diem æstus (Isa. XXVII, 8), ad umbras istas placet invitare quas ille dies serenus aspirans rorem misericordiæ cu-pit æstuantibus inclinare. Audite ipsum diem, ad umbrarum refrigeria clementer vos invitantem: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth. XI, 28). Servus enim sub sole laborans, ut ait Job, desiderat umbram (Job. VII, 2), in qua scilicet a labore recreetur ad laborem, vel per horam dimidiam, qua silentium fit in cœlo: quam cum obtinuerit indulgentia Prioris sui, gloria-tur et dicit, *Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi*. In qua nimirum umbra, quia non sola sessio est ad quietem, sed etiam refectio ad satietatem, congrue subdit: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo* (Cantic. II, 3) Sic enim dictum est per prophetam: *Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico et germinabant sicut vitis* (Osee XIV, 8). Servus seu mercenarius, quem sæpius hæc umbra recreaverit, longanimiter præstolabitur finem operis sui. Sic enim habes *Servus desiderat umbram, et mercena-rius præstolatur finem operis sui* (Job VII, 2). In umbra quidem non finis, sed pausatio. Finis enim erit operis remuneratio, cum evacuatis omnibus umbris, videbimus eum sicuti est: cui modo dici-mus, *In umbra tua vivemus inter gentes* (Thren. IV, 20), inter angelos nempe, non in umbra, sed in luce manifesta.

7. Hoc autem notandum, quod cum umbræ illæ de superioribus inclinantur supra nos, umbræ istæ de inferioribus inclinantur infra nos. Cum enim divinis propinquamus, mundana superamus: et qua-tenus vel ad umbram lucis accedimus, eatenus mor-tis umbram evadimus. Lux enim et vita in cœlo, mors in inferno: umbra autem mortis in hoc ter-reno et tenebroso loco. Cum igitur spiritus altius nos elevat inter terram et cœlum, non tangimur umbra terrenorum: et licet nondum plena luce fruamur cœlorum, tamen umbris illuminamur montium æternorum, vel certe montis illius umbrosi et con-densi, de quo venit Sanctus sanctorum. Mox tamen